

S V E C I A.

antiquitus ordinatum determinatumque erat, qua ratione civitates maritimæ cum extraneis, mediterraneæ vero cum incolis ac maritimis civitatibus mercimonia exercent, ut ad singulas lucrum emolumenatumque redundaret, cautumque erat, ne unius civitatis commodum incrementumque alterius damnum ruinamque adferret.

Rustici.

Rusticorum status infimus, ac quasi fundamen-tum & basis est reliquorum, qui reliquis victum & amictum suppeditat. Horum duo sunt genera-primum vocant *Skatbonder*, qui agros ha-bent hæreditarios, ex quibus quotannis certam-dant pensionem, quam Reges adaugere non consueverunt, quibus etiam ea prærogativa antiquitus concessa est, ut si rei militari sint idonei, possintque sibi equum armaturamque idoneam comparare; quamdiu ii eorumve filii equo stipendi merent, prædia ab omni pensione servitu-teque immunia habeant: quæ res facit, ut pluri-mi quasi ab incunabulis animum ad rem militarem applicent; unde Regis exercitus equestris non parum corroboratur. His adnumerantur & ii qui *Bergman* dicuntur, qui montana inhabitan tes effodiendis conflandisque metallis dant operam, unde maximum hauriunt lucrum, ideo-que plerunque sunt divites. Reliqui rustici regia aut nobilium vel ecclesiastica colunt prædia, qui etiamsi dominis fundi præter annuos reditus & servitia nihil præstant, multas tamen ex písca-tionibus, aucupiis & lignationibus, aliquando etiam venationibus habent commoditates, quæ aliorum regnorum colonis sunt denegatæ; quan-doquidem regio lacubus fluminibusque pisco-sis, alicubi etiam silvis abundat, quorum com-moditates dominis fundi, propter earundem frequentiam, longinquitatemque ab eorum re-sidentiis, usui esse non possunt; quare nullibi in aliis regnis, pisces, aves, leporisque, & id genus alia minoris veneunt, quam in Suecia.

Incolarum mores.

Fertilitas.

Incolarum ingenia moresque testatur Adamus Bremensis, dicens: *Quamvis omnes hyperborei hospitalitate sunt insignes, tamen præcipue sunt nostri Sueones, quibus est omni probro gravius, hospitium denegare transiuntibus.* Sunt etiam præ cæteris humanita-tis, candoris animique sinceritatis laude conspi-cui: ideoque multis extraneis admirationi fuit, quod etiamsi ibi frequentes sunt silvæ, rarissimos tamen inveniri latrones.

Sueonia (vt verbis utar Adami Bremensis) re-gio est fertilissima, ager frugibus & melle opimus, extra quod pecorum foetu omnibus ante-fertur, lacus variis piscibus abundantes habet innumeros, inter quos tamen sunt præcipui *Me-ler, Vener, & Veter*, quibus adnumerantur *Hialemer, Nericia, Silian Dalecarlia, Aava, Lusatresk, Ternetresk,*

& *Enacatresk Lapponia, & Vlatresk Cajania*, nec non *Dejande Tavastia*, flumina insigniora sunt quæ ex iisdem lacubus derivantur, ut videre est in ipsa tabula. Regio non omnibus quidem in locis plana est, sed præsertim in septentrionalibus occiden-tibusque partibus montosa & silvosa est, qui equidem montes, non omnes, ut in Norvegia, colonis sunt impedimento detimentoque: nam eorum multi plurimis variorumque me-tallorum generibus sunt ditissimi, quæ certe metalla ut conflentur maxima lignorum egent copia, unde videre est mirandam stupenda-que naturæ opificis benigitatem, qui ne tales metallorum venæ hominibus inutiles essent, semper in hac patria iis associavit silvas, peren-nesque, quibus elaborari possent, aquarum de-cursus: neque carent iudem montes silvæque etiam aliis commoditatibus; accolis namque venationes aucupiaque opima præstant. Loca maritima littusque, non Sueciæ tantum verum & Finlandiæ, naturæ conditor undiquaque insulis innumerisque scopolis præruptisque rupi-bus circumcinxit ac quasi obvallavit, ut impos-sibile sit extraneos sine perito ductore, ab indi-genis edocto, illas oras appellere. Suntque illi scopuli saxis asperi aut cautibus invii & vix vi-venti cespite vestiti. Insulæ etiam, in mari præ-sertim, quamvis suis locis agros, prata pascua-que habeant gratissima, tamen majori ex parte rupibus densissimisque silvis sunt consitæ. Vnde cæteris primum illuc adventantibus mirum vi-detur, solum tam asperum & incultum incolis alimoniam suppeditare posse: ad interiora au-tem pervenientibus panditur regio pulchra, cunctis vitæ necessariis opulenta satis; unde illis prius concepta admiratio evanescit. Regio tota, sicut & Britannia, Norvegia, Dania, Polonia & Muscova, omnesque 51 vel 53 gradu latitudinis septentrionaliores provinciæ, vino carent; ejus tamen maxima copia, & quidem omnis generis à mercatoribus istuc advehitur; interim tamen vini defectum cerevisia vel zythum è macerato frumento decoctum resarcit. Insulani & mariti-mi, ut plurimum piscatura, mediterranei agri-cultura pecoribusque vicitant; unde fit ut hi reliquis frumenta, aliaque quæ regio copiose pro-fert, illi vero his pisces subministrent.

Regnum Sueciæ dividitur in *Sueciam, Gothiam, Finlandiam, Ingriam atque Eßboniam*. *Suecia* rursum in Sueoniæ propriæ sic dictam, & Nordlandias distinguitur. Sueoniæ provinciæ sunt *Vplandia, Vestmannia, Dalecarlia, Nericia, & Sudermania*. Nordlandicæ vero *Gestricia & Helsingicæ* regiones.

Civitates præcipuae sunt *Stockholmia & Vibes. Upsalia*, hæc Archiepiscopal, illa regia sedes.